

# Resistentia sanctimonialium catholicarum adversus haeticos ministros.

(Ed. Fr. van Ortroj S. I.)

Hoc titulo expressum latet in codice cartaceo Tabularii secreti Vaticani, signato *Miscellanea Armar. X, Vol. 89*, documentum, quod ad invectam anno potissimum 1591 in civitatem Halberstadensem reformationem spectat. Est autem ille codex, formae in 4<sup>o</sup>. et sat amplae molis, serie foliorum nullo numero instructa, e documentis hagiographicis aliis alia manu saeculi XVI exaratis maximam partem conflatus. Initio codicis, duobus foliis saeculo XVI—XVII<sup>o</sup>. descriptus est contentorum Index. Exteriore autem teguminis membranacei tergo inscriptum iam olim erat: *Vitae Sanctorum M. S. 364*; inferius autem recenti aetate additum est: X, 89. Quae novissima designatio interiore teguminis parte repetita est cum hac notitia italiana: *Vite de' Santi raccolte dal card. di Sta Severina, vedi Ciacconi f.<sup>1</sup> e l'Indice de Mss. della Libr. Albani p. 12 tergo*. Et revera apud Ciacconium-Oldoinum, t. III, col. 1043, recitatus est hic locus, ex notis Caesaris Baronii ad Martyrologium Romanum, die 7. decembris, depromptus: *S. Urbani Episcopi Acta antiquitus scripta, collecta esse una cum multis aliis ab Illustriss. et Reverendiss. D. Iulio Antonio Sanctorio S. R. E. cardinali, eruditione et vitae moribus clarissimo, eademque in lucem edenda percepimus: faxit Deus ut diebus nostris solertissimi ingenii mereamur frui laboribus.*<sup>2</sup> Impervius vero mihi fuit codicum bibl. cardinalis Albani Index.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> In cod. subsequitur spatium vacuum.

<sup>2</sup> De suo litterario studio atque industria ne verbum quidem ipse cardinalis innuit in sua autobiographia edita a G. Cugnoni, in *Archivio della R. Società Romana di Storia patria*, t. XII, p. 327-72 et t. XIII, p. 151-205.

<sup>3</sup> Qui catalogus diversus est ab eo qui describitur apud Ottino-Fumagalli, *Bibliotheca bibliographica Italica*, n. 3998.

Porro Vitas et Passiones, quae in Volumine Vaticano congesta sunt, ad penu ipsius cardinalis S. Severinae (1532—1602) pertinere identidem testantur tum illi a quibus apographa illa missa sunt, tum cardinalis qui ea accepit. Sic epistolae, die 20 maii 1579 datae, quae concomitatur liturgicum officium et vitam s. Philippi in monte Argirione, adverso latere legitur: *All' Illmo et Rmo Sre pronomio ossmo Monsr Il cardle di Sta Severina, Roma*. Idem occurrit in ternis litteris, quae vitam S. Caelestini papae V<sup>1</sup> subsequuntur, et in quibus episcopus Iserniae documenta de ancto anachoreta prelo excusa pollicetur. Alibi et ipse cardinalis suamet notavit manu quibus anno et die haec transsumpta ad se pervenerint. Ex iisdem quoque indiciis liquet iam ab anno 1561 illum colligendis Sanctorum Vitis intendisse. Ulterius autem de hac materia hagiographica disserere hoc loco supervacaneum existimo.

Ad narrationem quidem festino, quae, media inter expositiones anglicanae persecutionis sub Elisabeth saevientis, nullum prae se fert titulum, sed cui a tergo affixum est hoc compendiolum: *Resistentia sanctimonialium catholicarum adversus haereticos ministros*. Restiterunt scilicet moniales Halberstadenses viris specie tenus adhuc catholicis qui coetuum religiosorum tamquam Visitatores a Principe ab anno 1589 constituti, dum suo munere fungebantur, nova placita conabantur instillare. Compertum est autem quibus fati, intruso praesertim Henrico Iulio Brunswicensi in Halberstadensem episcopatum<sup>2</sup>, paulatim ab hac dioecesi fides catholica exulare coeperit. Neque id parum iuverunt huius ecclesiae canonicorum tum pertinacia in postulando Henrico Iulio, Ducis Brunswicensis filio, in antistitem<sup>3</sup>, tum indecora anno 1584 cum ipso electo pacta inita<sup>4</sup>. Tales proculdubio digni erant, qui in religiosas monasteriorum condiciones indagarent<sup>5</sup>. Quo vero exitu id apud feminas successerit, sub oculis ponitur subsequenti documento. Cui eo firmior danda est fides, quo magis praestat auctoritas illius a quo emanavit. Is quidem innotescit

<sup>1</sup> Ed. *Anal Boll.*, t. XVI (1897) p. 364 sqq.

<sup>2</sup> Cf. Janssen *Gesch. des deutschen Volkes*, t. IV, p. 494., et W. Langenbeck, *Geschichte der Reformation des Stiftes Halberstadt*, p. 38-66, Göttingen, 1886.

<sup>3</sup> Theiner, *Annales eccl.*, t. II, p. 32-33.

<sup>4</sup> *Ibid.* t. III, p. 524-30.

<sup>5</sup> De variis quae huic instituendae visitationi praeluderunt consiliis, cf. Langenbeck, *Op. cit.*, p. 68-71.

ex notula, quam sua manu cardinalis Sanctae Severinae averso folio adiecit: *Germanica. Misit D. Minutius die VI Januarii 1592*. Est autem ille Minutius, qui, ob diuturnum tempus quod in Germania degerat rerum hominumque hujus regionis scientissimus, ab Innocentio IX, exeunte anno 1591, tamquam a secretis praefectus fuerat negotiis Germaniae capessendis, ut ipse litteris die 1 novembris 1591 datis ad Coloniensem Nuntium scribit<sup>1</sup>.

Ab hocce nuntio, Frangipani nomine, episcopo Caiaciensi, qui ea tempestate in Germania Inferiori versabatur, ipse Minutius documentum de quo agitur accepit; nam collata eius scriptura cum scriptura litterarum, quas anno 1591 Frangipani Romam misit<sup>2</sup>, reperitur prorsus eadem. Immo si attentius perpendatur quo scribendi modo inferius in sermonem adducantur<sup>3</sup> monachae S. Jacobi, „*nostrorum*“ exhortationibus“ accuratius formatae et quibus prae aliis cognomen vulgo inditum est monialium *iesuiticarum*, pronum erit concludere hanc relationem a quodam Societatis Jesu alumno primitus fuisse missam, atque cum Nuntio Frangipani, Coloniae residere solito, communicatam. Insuper cum cardinalis S. Severinae declaret id in suas manus pervenisse principio anni 1592, concludere fas est subiectam narrationem ad annum 1591 referri, quo nimirum Henricus Julius postulatus Halberstadensis catholico cultui infensus antiquam liturgiam e medio sustulit. De qua abrogatione nonnulla peculiaria nos monet documenti exordium. Iam vero ipse Coloniensis Nuntius de pravis antistitis novitatibus haec die 21 martii 1591 scripserat: *E stata intimata à detto clero con pena di privatione di suoi beneficij l'esecutione di questi tre capi, cioè che se sposassero pubblicamente le loro concubine; che dismettessero il Sacrificio dell' altare; et che negassero l'ubbedienza di quella santa Sede*.<sup>4</sup> Quamvis Capitulum Ecclesiae cathedralis sua utilitate et privilegiis magis quam retinendae catholicae religionis studio ductum quasdam tricas et ambages intertextuerit<sup>5</sup>, tamen vicit vafra Principis pertinacia et die 8

<sup>1</sup> J. Hansen *Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572-1585*, t. I, p. 741, nota 7.

<sup>2</sup> *Arch. Secr. Vat.*, Nunz. Colon. t. II.

<sup>3</sup> Pag. 55.

<sup>4</sup> *Ibid.* Cf. apud W. Langenbeck, *op. cit.* p. 68-71, contractam orationem, quam ipse Henricus Julius coram Ecclesiae cathedralis capitulo die 23 februarii 1591 habuit.

<sup>5</sup> Langenbeck, *op. cit.*, p. 78 sqq.

augusti 1591 ulterius administratorem Halberstadensem processisse ita monet Frangipani : *Contra la volontà del clero et del popolo catholico v'interdice il sacrificio dell' altare, et v'introduce l'uso dell'hore canoniche secondo il Breviario di Lutero*<sup>1</sup>. Quam illo iniquo agendi modo commota fuerit Sedes apostolica testantur litterae a Minutio mensibus february et martij 1592 ad Nuntium Germaniae Superioris datae<sup>2</sup>, ut is opem Imperatoris contra Henricum Julium diligenter efflagitet. Quae cum ita sint, liquet documentum, quod editurus sum, anno 1591 conscriptum esse, et quidem post festum S. Matthei (21. septembris), quoniam de heretica contione, hoc die recitata, mentio sub principio incitur. Praeter initium, in quo plura occurrunt quae aliunde confirmantur<sup>3</sup>, reliqua, sive res sive verborum tenorem spectes, inedita sunt scituque haud indigna.

---

Cum Imperator Halberstadense Capitulum per litteras de religionis mutatione interrogasset, canonici astute de mandato Imperatoris et suo responso reliquum clerum celantes, magna celeritate Lutheranismum templis inducere conati sunt. Itaque ad tantum haereticum adiunxerunt concionem haereticam, quam Martinus Mirus habuit primam ipso die festo S<sup>ti</sup> Mathaei, et typis aedit, et nunc vicarij summi templi, nisi privari beneficijs malint, concioni interesse, ac decurtatas et mutilatas horas canere coguntur, itaque ne unus quidem a choro abest. Reliqua collegia et virorum monasteria, eundem male depravatam cantum in templa sua admiserunt, et sacrificium missae excluserunt, nisi quod in aede D. Mauritij clausis adhuc ostijs celebretur, et sanctorum suffragia leni murmure recitentur. Superior tamen in Hamersleben Haino dictus, prophanam hanc novitatem recipere noluit, sed adhuc integrum servat cultum divinum. Petiverant summi templi vicarij sibi permitti, ut in Sacello suo privatim quotannis aliquoties celebrarent et communicarent, sed a Capitulo obtinere non potuerunt.

Instituta quoque est monasteriorum visitatio, alio successu quam sperassent. Ex visitorum numero erant Decanus Ioannes a Britzken, D. Damius officialis, Cancellarius Principis<sup>4</sup>, et Abbas Heuseburgensis.

---

<sup>1</sup> *Arch. Secr. Vat. Nunz. Colon.*, t. II.

<sup>2</sup> *Ibid.*, Apographa t. XV, f. 8, 14, 16.

<sup>3</sup> W. Langenbeck, *op. cit.* p. 89—91.

<sup>4</sup> Nomen eius erat Petri Bottichern.

Hi evocant ad monasterium Heusebourg matrem ex monasterio Badesleven, quae virginibus, quas maxime senes habebat, comitata advenit. Rogata igitur an visitoribus, a non haberet alias istis seniores: *Habeo*, inquit, *adhuc plures domi his seniores*. Proponunt deinde principis voluntatem de immutanda religione; respondet illa, velle se cum suis virginibus manere in antiqua et catholica simplicitate, rogareque ut in ea relinquantur. Ita discessum est. In monasterio Adersleben, dum pari autoritate virgines ad mutandam religionem urgent, illae ter in genua provolutae rogant, ne novitatibus istis graventur. Sed cum hac humilitate rigidi censores non flectuntur. Priorissa caeteris audacior, eos alloquens: *Nonne*, ait, *anno superiori severe nobis mandastis, ut arctissime iuxta regulam et instituta nostra viveremus, et ne pedem extra monasterium efferremus? Quomodo ergo nunc omnia contraria praecipitis? Quanam ista inconstantia est?* Hoc sermone irritati, surgentes è monasterio abeunt. Abbatissa S<sup>ti</sup> Nicolai respondit velle se pari constantia cum reliquis monasterijs in avita religione Deique cultu persistere.

Margaretha ab Erlesleben, genere nobilis Virgo, Abbatissa è Monasterij (*sic*) Heimersleben, quae recusavit omnino quicquam immutare, et inter caetera ad visitatores: *Magno*, ait, *constabit haec mutatae religionis culpa omnibus, qui ea se contaminarunt*. Tum ex visitorum numero quidam Canonicus rogans: *Quanam*, inquit, *culpa tenentur?* — *Vos canonici*, respondet Abbatissa, *in culpa estis, non Princeps; vestrum enim erat hanc novitatem prohibere, non promovere*. Sic inde decessum.

In monasterio Hedersleben virgines regit Magdalena à Werder nobilis familia, sed religione et animi magnitudine nobilior. Haec post longam et acrem disputationem, (latine enim docta est), ad visitatores: *Malo*, inquit, *cum virginibus mendicato victum quaerere, quam religionem mutare et sacrificio missae privari, sine quo monasterium meum subsistere nequit*. Conantur illi obtrudere deformationis librum, sed illa dextram more religiosarum manicis involvens et contegens, ne attingit quidem; brachio imponunt, amovet illa et leniter in mensa deponit. Iratus contra Cancellarius: *Num venenum*, ait, *putas, ô Domina?* — *Omnino*, respondet illa, *venenum est animarum*. — *Perlegito primum*, ait Cancellarius. *Jam summam novi*, respondet illa. *Saltem virginibus tuis proponas*, instat Cancellarius. *Non opus est*, inquit Abbatissa, *nam et illae norunt, et idem mecum sentiunt*. — *Quomodo*, inquit, *illae norunt, cum iam liber primum sit scriptus?* — *Iam ultra medium annum*, ait Domina, *vulgo constitit vos haec meditari*. Abierunt ergo, libro in mensa relicto, quem Abbatissa per famulum ipsis remisit. Princeps huius Abbatissae prudentem constantiam audiens: *Si vir*, inquit, *esset in aula mea, ipsius opera uti vellem*. Multa alia hac prima visitatione dicta factaque in his mo-

nasterijs, sed relata nondum mihi sunt, quod aditus hac vice mihi ad illa non pateret.

Restabat adhuc monasterium St<sup>i</sup>. Jacobi alias Burchardi, quod prae caeteris monasterijs nostrorum exhortationibus ad religionem (*sic*) disciplinam accuratius formatum est, ideoque plus formidinis visitoribus iniecit, ita ut in convivio quodam dicerent, cum reliquis monasterijs facile se transacturos, sed timere se moniales Iesuiticas. Primo igitur ex Ducissae Gynecaeo tres procaces nobiles foeminae perditae Lutheranae monasterio immissae, ita repulsae sunt, ut inde redeuntes dicerent: *Volebamus virgines illas fidem docere, sed illae nos docuerunt.* Cum hac via non succederet, imparatas obruere cogitant, et vix una hora adventum suum praenunciantes, improvisi adsunt, cum tamen reliquis monasterijs octiduo ante quando essent venturi significassent. Eodem autem die et hora, virgines per sacram confessionem ad sequentis diei communionem animas expiabant. Consternantur itaque et convocantur in triclinium. Ingrediuntur visitatores Cancellarius, Joannes à Britzke, officialis, Abbas Heuseburgensis. Quibus conspectis, redit virginibus animus, et una inter caeteras ad aliam conversa inquit: *Die wollen die fusse nit greiffen*,<sup>1</sup> praedicens parum ipsos effecturos.

Sedentibus visitoribus, et virginibus utrimque longo ordine stantibus, Cancellarius longa oratione paternam principis curam erga subditos et monasteria commendat. Qua finita, Abbatissa primum gratias agit, quod huc usque Princeps monasterij patrocinium susceperit; rogat deinde, ut in antiqua, vera et catholica religione se suasque virgines relinquat et similiter deinceps defendat. Cancellarius mentione antiquae, verae et catholicae religionis statim commotus: *Quam, ait, fidem antiquam et veram dicitis? Nostram, infert Abbatissa, quam huc usque semper retinuimus, et cui innutritae sumus.* Tum Cancellarius: *Venimus, inquit, non novam vos docere fidem, una enim est fides ut est Deus unus: sed abusus quosdam tollere, qui irrepserunt.* Rogat domina quinam illi abusus sint. Respondet Ioannes à Britzken, esse inuocationem sanctorum, processiones, missam, vigiliam et horum similia. *Hi vero non abusus, ait Domina, sed fidei articuli sunt, quibus sublatis fides tollitur. Quod si missa et vigiliae abrogandae sunt, quid faciemus de literis foundationum nostrarum, quibus maiores nostri et missas et vigilia nobis iniunxerunt?* Respondet Britzken: *Maiores nostri melius non fuerunt instructi.* Tum alia virgo inquit: *Nos potius ad illos collati infantes sumus.* Pupugit hoc verbum Ioannem à Britzken; itaque tacitus secum hoc vocabulum repetebat: *Infantes? infantes?* Ad haec

<sup>1</sup> Id est *non volunt capere vulpes.* Sic in margine.

Abbatissa: *Proponam, inquit, optimi domini, humilem quaestionem: Utrum nempe fieri potest ut tot superiorum saeculorum homines miraculis et martyrio clari, doctrina et vitae probitate insignes erraverint, et Ecclesiam suam, pro qua tanta sustinuit Christus et cui Spiritum sanctum promisit et dedit, contra sua promissa deseruerit?* Cancellarius autem videns se teneri: *Vicissim, ait, proponam tibi quaestionem, ô Domina. Num existimes nimirum te cum tuis viginti monialibus solam salvandam, et caeteros, qui in toto Ducatu sunt, errare, neque Spiritum sanctum habere, et damnari? — Non hoc ego affirmo, ait Abbatissa, sed iuxta regulam Christi fructus vestri ostendunt cuius spiritus sitis.* Tum Cancellarius: *Novimus, inquit, neque apud vos omnia tam munda esse. Quibus verbis innuebat cuiusdam monialis defectionem, quae ante aliquot menses egressa, nuptias Christo praetulerat. Una autem ex virginibus sentiens quid vellet: Hoc, inquit, acceptum referimus Lutheri et ipsius evangelio, quod in monasteria admissum, disciplinam et rigorem tollit, et libertatem carnalem ac caetera mala introducit.* Abbatissa deinde: *Si, inquit, vultis ut fidem nostram mutemus, dicite qualem suscipere nos velitis: num fieri debemus Calvinianae, an Zwinglianae, an Anabaptistae?* At Cancellarius: *Volumus vos ad purum verbum Dei et legitima sacramenta reuocare. Num putatis Principem Calvinianum? Non, inquit Abbatissa, Principi culpae quicquam do. — Qui ergo in culpa sunt?* ait Cancellarius. *Deus probe illos novit, respondit Abbatissa. Praetenditis quidem, ait ulterius Domina, verbum Dei; sed ex vestra tamen fide reliqui errores exorti sunt, et augentur in dies blasphemiae, ita ut iam sint qui matrem Dei quoque peccatricem insimulare audeant. — Et quis aliter dicit?* ait Cancellarius. Ad hoc obstupescens Abbatissa: *Haec vestra quoque fides? — Omnino, respondet Cancellarius. Maria peccatrix est sicut ego et alij: nam omnis homo mendax.* Tum Abbatissa: *Deus, ait, a tam coeca et erronea fide nos conservet.* Et simul ad virgines suas: *Crucem, inquit, tali blasphemiae, ô filiae, opponite.* Tum omnes moniales simul signo crucis pectus muniunt.

Cancellarius ergo magis perturbatus: *Si, inquit, Beata virgo peccatrix non est, faxit Deus ut vivus hinc non egrediar, sed edat in me signum Deus. — Hoc fiat, inquit Abbatissa, edat signum Deus.* Continuo omnes Virgines acclamare certatim: *Amen. Amen. Amen.* Una autem rogans Cancellarium: *Ubi, inquit, hoc scriptum est, Mariam esse peccatricem? — Quaeris, ait Cancellarius, ubi hoc scriptum sit, virgo? Omnes Sti patres hoc habent.* At Virgo: *Parum quidem legi, sed hoc numquam inveni apud quemquam. Scio autem Stum Bernardum dicere, ubi de peccatis sermo habetur, Mariam excludendam.* Respondet Cancellarius per ironiam: *Sequere tu Bernardum.* Alia autem Virgo: *Si, inquit, Beata Virgo*

*peccatrix est, omnipotentiae divinae iniuria fit, quasi illa sibi mundum templum curare nequiverit, in quo habitaret. Si peccatrix est virgo Maria, Christus quoque carnem peccatricem ex illa assumpsit, et peccator est. Si peccator est Christus, redemptor non est; ergo nondum redempti, sed adhuc sub peccato sumus. — Non, inquit Cancellarius, venimus hic disputari vobiscum, sed ut Principis mentem exponeremus, et responsum illi in aula sua iam nos praestolanti referremus. Nunc vero prae vobis nihil effari possumus. —* Quærit deinde in genere utrum omnes ita persistere vellent. Acclamant singulae, velle se ita manere.

Tum surgentes visitatores subito abeunt, neque ullus ipsis a virginibus honos aut reverentia exhibita est. Domina autem ad ostium ipsos deducens, et ad Ioannem à Britzken conversa: *Nunquam, inquit, ô Domine, ita te à Catholica religione defecturum putassem, sed potius domum lapideam in te edificassem, et omnibus alijs deficientibus te patronum nostrum sperassem.* At ille: *Non possum, inquit, veritati resistere.* Sic è monasterio proripuerunt. Observarunt virgines quod Cancellarius aliquoties haesitaverit, non habens quod responderet, et ad nomen Principis assurrexerint cum reverentia visitatores, sed ad nomen Iesu et B. Mariae immoto corpore sederint. Stabat postremo loco virgo una ex iunioribus quae primum religionis habitum gestant, supra aetatem prudens, et toto disputationis tempore leniter subridebat. Abbatissa observans, cum importuni homines abiissent, interrogat qua de causa toto tempore subriserit. Tum virgo: *Meditata, inquit, eram responsum quod illis obijcerem, si sententiam meam rogarent. — Qualenam?* ait Domina. At illa: *Volebam dicere: Ich wille bei dem alten Glauben bleiben lassen,<sup>1</sup> proverbio omnibus noto volens ipsos eludere.* Tunc ait Domina: *Ausa fuisses hoc dicere? — Quidni?* respondit virgo; *accipere a me debuissent tanquam dictum puerile ob aetatem.*

Princeps audita virginum omnium constantia dixisse fertur: *Meine Nonnen halten sich besser als meine Pfaffen.<sup>2</sup>* Ita primum haereticorum impetum virgines hoc virili plane animo repulerunt. Ut autem pari constantia caeteras illorum tentationes superent, aequum est omnes illos sedulo a Deo precari, et ipsis succurrere qui haec legerint, vel audierint.

<sup>1</sup> Id est, volo apud antiquam fidem manere. Ita in margine.

<sup>2</sup> Id est, meae moniales habent se melius quam mei praesbiteri. Ita in margine.